



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

51 Papa quando vt Papa, & quando vt Doctor tantum, respondere censeatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

riore non extendatur, capit. fin. de constitut. fallit tamen quoties de effectu futuro, agit, qui sine effectu præterito stare, & consistere potest Gloss. in Clemen. vt hi qui iuret, in posterum. de ætat. & qualit.

DECISIO XLVII.

Ex consil. 3. alias 11.

Bulla Pij IV. quæ incip. *Romanum*. & est 109. in ordine eiusdem, edita 1564. & Bulla Pij V. incip. *intolerabilis*, & est 87. in ordine eiusdem, edita 1569. in beneficiarios confidentiaros late, ad excludendum, & arcendum dolos, & fraudes, & vota caprandæ mortis aliene, quæ per huiusmodi confidentias beneficia illicitas induci solent odiosa censende sunt, & restringenda; eo quod lex omnis facta in odium aliquorum, vel alicuius rei censeri debet odiosa, & restringenda. l. Qui exceptionem ff. de condit. iudic.

DECISIO XLVIII.

Cum constitutio odiosa, non extendi, sed potius restringi debet; capit. Odis, de reg. iur. in 6. pensionem per confidentiam transferens, pænas Bullæ contra confidentiam beneficiale lætæ non incurrit, cum pensio nec beneficium sit, nec res spiritualis, sed temporalis, nec obligat ad dicendas horas Canonicas, nec habet perpetuam durationem, nec residentiam requirit, quæ tamen omnia beneficia de iure communi requirunt, c. Consequenter, & capit. fin. de cle. non resi. & renunciari potest, & remitti gratuito sine vlla superioris auctoritate, ex Card. Alex. in cap. Agathoxæ. dist. 63. immo cum Papæ auctoritate pecunia redimi potest.

DECISIO XLIX.

Ex consil. 4. alias 3.

Lex Principis secularis prohibens equos extra regnum suum asportari, cum sit præiudicialis, pænalis, odiosa, & in odium delicti inducta, in foro conscientie clericos extrahentes equos suos in suis equitijs genitos non obligat, præsertim cum lex Imperatoria etiam generaliter loquens, & nullam de clericis specialem faciens mentionem, clericos non includat, si sit præiudicialis: Arg. cap. 1. de noui oper. nunc. & cap. Si in adiutorium dist. 10. sed neque lex hæc laicos in conscientia obligat, cum recepta solum sit quoad pœnam externam, non autem quoad pœnam æternam; lex autem recepta, quoad pœnam temporalem, nõ obligat quoad pœnam æternam, si non sit recepta etiam quoad illam. Neque confessarij, neque penitentia eruditi consueuerunt huiusmodi legis obseruantiam, auertere, aut in foro interiori accipere, reputantes legi satisfieri soluendo pœnam temporariam, cum deprehenderetur eorum transgressio. Ita Nauarr. in Manu. cap. 23. num. 62.

DECISIO L.

Ex consil. 5. alias 7.

In Capitulis Generalibus Religiosorum, vbi multæ nationes concurrunt, legitime fieri potest constitutio, ne in Priores, aut Abbates Monasteriorum plures, quam tres de vna natione eligantur, cum statutum hoc multis de causis rationabile esse possit, scilicet, ne alijs detur causa superbiendi, alijs murmurandi, aut alijs nimium suæ genti, vel nationi tribuendi. Quando autem eligi nõ possent omnes digni de omnibus nationibus, nisi plures quæ tres eligerentur de vna, tunc plures de illa eligi possent; quia nunquam eligendus est indignus ex S. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 2.

DECISIO LI.

Ex consil. 6. alias 2.

Quod respondet Papa de iure respondendo alicui quærenti, vel interroganti eum super aliquo dubio iuris, censetur velle, vt in similibus casibus idem respondeatur; quia vero Papa, aliquando vt Papa loquitur, aliquando vero vt Doctor, ex circumstantijs temporis, loci, modi & causa respondendi, & interrogandi, & scribendi, & dicendi, colligi potest in dubio, an vt Papa, vel vt Do-

ctor in tali materia responderet censetur.

DECISIO LII.

Ex consil. 7. alias 20. de sententia excommunicationis.

Extrauagans Pij Quinti de electione superiorum ordinis Minorum excommunicans suspendens, & per mensem carceri mancipans eum, qui ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra religionem procurat; non punit fratrem procurantem literas ad quosdam electores, vt ei fauerent, si postea dictis literis non vtatur; lex enim pænalis restringenda est, capitul. Pæna. de penit. dist. 1. nec vitra finem a legislatore intentum ligat, cum actus agentium nõ operentur vitra intentionem eorum. capit. fin. de præbend. Et intentio Pontificis est, ne electores propter fauores indignos dignis, vel minus dignos dignioribus præferant; qui finis & intentio cessat, si procurans literis non vtatur; talis enim verè fauorem non procurat, cum literæ alicui fauori non sint, donec ad eum, ad quem dantur, perueniant.

DECISIO LIII.

Quarta de consil. in Nouis. deest in antiquis.

Quamuis domicilium originis firmitus, & immutabilius sit, l. 1. & l. si. ad municip. quia tamen domicilium habitationis principalius est Gloss. in capitulo. statutum, ver. vnam diariam, de rescrip. in 6. adeo vt diecesis appellatione in dubio venit illa, quæ est domicilij habitationis, immo & stylus Curie habet, vt orator exprimes diecesim, cuius est, exprimat diecesim habitationis, non Natiuitatis: Hinc fit quod licet tractatum alicubi esset, pæta Spoleti, etiã a Papa sub pæna excommunicationis late sententiæ confirmatum, vt pro nulla muliere ciuitatis Spoleti, vel eam habitante dari, aut recipi possit dos maioris summe mille florenorum, nihilominus tamen si Spoletanus origine, etiam cum Spoletana origine, in alio loco, pæta Romæ, Matrimonium contrahat, ibique domicilij constituat, cum proposito ibi habitandi, licet potest sponse parès dotem filie augere, & sponsus illud auctarium recipere, absque eo quod excommunicationem incurrant: si quidem statutum ciuitatis Spoletanæ quamuis omnes illius ciues, hoc est, habentes in ea domicilium, liget: attamen ibi natos, sed alibi habitantes non ligat. Statutum. n. ciuitatis non nisi sue iurisdictioni subiectos obligare potest, eo quod cum statuere iurisdictionis sit, solum eos comprehendit, qui ei subiacent, l. fin. de iurif. omni. iud. & cap. 2. de constit. in 6. lbi vero nati, sed alibi extra territorium habitantes, iurisdictioni illius non sunt subiecti.

DECISIO LIV.

Octava de consil. in Nouis. deest in antiquis.

Cum statuta Papalia sint, quæ Capitulum Generale auctoritate Apostolica condit, & inferior statuta superioris tollere nequeat ex Felin. in capitulo. cum accessissent, de Constitut. Capitulum non Generale representatiuum Capituli Generalis, statuta in huiusmodi Capitulo Generali per definitiuam sententiam tollere non potest, eo quod sententia definitiuam irrevocabilis est etiã ab eodem iudice, seu Capitulo Generali sententiam illam ferente capit. cum in literis, de offic. deleg. & l. iudex ff. de re iudic. vnde si quid iniuste in Capitulo Generali statutum esset, ad solum Papam, cui Capitulum illud Generale immediate subijcitur, per appellationem recurrendum est.

TITVLVS III.

De Rescriptis.

SUMMARIVM.

- 1 Parochus sine vlla monitione infra annum cessante impedimento presbyter ordinari debet, alias parochialem perdit, nec eum ignorantia excusat.
- 2 Exemptio per possessionem quadraginta annorum prescribitur.
- 3 Subre-